

Johannes Ortgieß Stephan Knickenberg

Disputatio De Rerum Divisione Et Acquirendo earum dominio

Rostochii: Praelo Reusneriano, 1601

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728314835>

Druck Freier  Zugang



F. Ortgiseus.
R. U. ^{jur.} phil. 1601.

57



Disputatio
minij *foram* *de* *lofamy* *totis.*
DISPUTATIO
RERUM DIVISIONE

ET ACQVIRENDI
carum dominio

Quam *minimam*
de *de* *de* *de*
DEO DVCE ET AVSPICE

Consensu *&* *auctoritate* *Amplissimi*
Magistrorum *ordinis* *in* *celeberrima*
Consensu & auctoritate Amplissimi

Magistrorum
Magistrorum ordinis in celeberrima
ROSTOCHIENSIVM
Academia.

Præsidentis *atq;* *consultissimi* *vir*
PRESIDENTIS
Clarissimi atq; consultissimi viri

Dn. JOHANNIS ORTGISEI J.V.D.
publicè proposuit

STEPHANVS KNICKENBERGIVS
Ruthenf. Westph.

Fiet *disputatio* *18.* *Aprilis* *in* *collegio*
Magistrorum *initio* *ad* *horam* *6.*
Fiet disputatio 18. Aprilis in collegio
Magistrorum initio ad horam 6.

ROSTOCHII

Prælo Reufneyano Anno 1601.







Thesis I.

REI generalissima significatio-
ne, ut omnia tria juris subjecta
comprehenduntur, ita hic sal-
tem alterum, exceptis personis
& actionibus, venit. Suntque
res vel corporales, vel incorpo-
rales. corporales, quæ sua natura tangi possunt,
incorporales, quæ sua natura tangi non possunt.

I I.

Harum omnium aliæ sunt divini, aliæ huma-
ni juris. Divini juris & hominum comercio ex-
emptæ, sunt res sacræ, religiosæ, sanctæ. Aut
divini juris sunt, vel simpliciter, vel modo
quodam. simpliciter sunt aut sacræ, quæ Deo
rite & publicè per Pontificem consecratæ sunt, &
neq; à privato constitui, nec constitutæ, alienari
sine causæ cognitione possunt.

III.

Aut religiosæ, quæ privatis pijs tamen usibus
inserviunt, & fiunt illatione mortui, in locum
proprium, non autem sine consensu domini in
alienum,

alienum, nec sine socij in communem, neq; sine consensu fructuarij in usufructum debentem.

IV.

Modo quodam, sunt res sanctæ, quæ sanctione legum ab hominum iniquitate, defensæ atq; munitæ sunt: harum numero sunt legati, muri & portæ, non solum urbis Romæ, verum etjam reliquorum municipiorum, itaq; & in his delinquentibus pœna capitis constituta est.

V.

Humani juris & hominum usibus inservientes, plerumq; sunt res, aut communes, aut publicæ, aut universitatis, aut deniq; singulorum.

VI.

Vt autem res singulorum commercio subjacentes, considerantur, aut secundum proprietatem, aut secundum jus, ita dominium, quod quis in re habet, recte aliud proprietatis, aliud juris dici censemus. Vtrumq; acquiri, vel naturali, vel civili modo constat.

VII.

Naturales ut vetustiores acquirendi modos intuebimur. Hos licet varij varios referant, nos tamen triplici comprehendi genere posse arbitramur, rei sc: apprehensione, ipsius accessione, & tandem specificatione.

Appre-

VIII.

Apprehensio complectens occupationem tam eam quæ ex proposito fit, quam quæ fortuito contingit, tripliciter perficitur; Venatione, captivitate, & tandem inventione rerum, quæ aut nullius ante fuerunt, aut alterius esse desierunt.

IX.

Feræ igitur bestię, & volucres, & pisces, omniaq; animalia, quæ mari, cælo, aut terra nascuntur, simulatq; ab aliquo capta fuerint jure gentium statim illius esse intelliguntur: Quod enim nullius est, naturali ratione occupanti conceditur.

X.

Venamur naturali libertate, non solum in proprio, verumetjam non prohibente domino in alieno fundo, feras aut nunquam captas, aut sese naturali libertati restituentes. An autem qui ultra prohibitionem domini, ardenti venandi animo, fundum alienum ingreditur, quod ceperit suum facit? Quod putamus. Licet à domino injuriarum conveniri possit.

XI.

Et quamvis venationem, tam jus divinum, quam naturale & gentium, omnibus permiserit, hodie tamen, longissima utentium consuetudine,

dine, diuturnaq; subditorum patientia, eam citra injuriam, privatis ademptam, principibus, Illustribus, nobilibus, & quibus hoc vel speciali concessione, vel jure præ eminentiæ, aut alia justa ex causa constitutum est, recte tribuimus. Privato tamen, diu in publici fluminis diverticulo soli piscari solito, jus accedentem arcendi concessum, negamus.

XII.

Apium quoq; pavonum, & columbarum, fera natura est, nec ad rem pertinet quod ex consuetudine evolare & revolare soleant. In ijs itaq; talis regula comprobata est, ut eo usq; tuæ intelligantur, donec animum revertendi habent, quem tum habere desinunt, cum revertendi consuetudinem deseruerint.

XIII.

Quæ autem non solitudine, sed domestica hominum consuetudine animalia gaudent, mansueta sunt & captiva (licet conspectum nostrum effugerint) vel ob id non acquiruntur, quod nunquam nullius esse credantur. Vtrum autem ob unicam gallinam, vel alias rem minimam furto subtractam actio furti competat? vix æquum putamus,

Jure

XIV.

Jure belli, capimus res mobiles, manu militari, etiam duce non dividente, adeo ut & liberi homines in servitorem deducantur. Immobiles belli ducibus vel fisco applicantur. Vtrum autem prædium privati ad hostiles incurstones coercendas dicatum, ex publico solvendum sit? Arbit.

XV.

Sequitur casualis sive fortuita occupatio. Thesaurum itaq; quem quis in loco suo, ut & sacro vel religioso invenerit, imperator inventori totum, si in alieno non data ad hoc opera dimidium concessit. Cui conveniens est ut si in fiscali loco, vel civitatis invenerit, dimidium ipsius & dimidium fisci vel civitatis sit.

XVI.

Vt autem occupantem videnti prius præferimus: Ita pro re inventa jure pretium peti posse negamus.

XVII.

Comprehendit deniq; sub se apprehensio traditionem factam ab eo qui transferendæ rei potestatem habet, in eum, qui in apprehensionem consentit. Estq; vel vera, cum res de manu in manum traditur, vel ficta, cum per traditionem clavium

clavium vel brevis manus fictionem, res pro tradita habetur.

XVIII.

Vt autem ad perfectam traditionem vacuum rei possessionem requiri censemus, ita procuratorem cui libera universorum negotiorum administratio concessa est, tradendo recte alienare posse arbitramur.

XIX.

Sequitur accessio alter acquirendi dominij jure naturali modus; Ea; vel naturalis vel artificialis potest dici.

XX.

Ad naturalem accessionem referimus partum ancillarum (quem cum imperatore extra fructum censemus) foetum animalium, lac, pilos, lanam. Ita tamen ut si quis horum animalium fructum habeat, in locum demortuorum capitum, ex foetu submitrat, recte enim colere & quasi bonus paterfamilias uti debet.

XXI.

Accessionis jure & illud nostrum fit, quod alluvione fundo nostro ita paulatim adjicitur, ut quid quoquo temporis momento accesserit intelligi non possit.

Ex ad-

XXII.

Ex aduerso si vis fluminis, de tuo prædioparrem aliquã detraxerit & vicini prædio attulerit, palam est eam tuam permanere. Plane si longiore tempore fundo vicini tui hæserit, arboresq; quas secum traxit in eum fundum radices egerint, ex eo tempore videntur vicini fundo acquisitæ esse.

XXIII.

Insula in mari nata occupantis fit. In flumine autem nata siquidem mediam partem tenet communis est eorum, qui ab utraq; parte fluminis prope ripam prædia possident, pro modo scilicet latitudinis cuiusq; agri. Quod si alteri parti proximior, eorum est tantum, qui ab ea parte prope ripam prædia possident.

XXIV.

Eodemq; modo & alveus à flumine derelictus confinia prædia tenentibus, pro modo latitudinis cuiusq; agri adjudicatur: Alveum autem repentina fluminis mutatione derelictum, ut & agrum aliquandiu à flumine occupatum, æquitatis intuitu, prioris domini manere opinamur.

XXXV.

Cum autem fructus, à bonafidei possessore percepti, etjam naturalis accessionis species censentur,

B

seantur,

seantur, consequenter paucis de his quoque agendum. Itaq; si quis à non domino, quem dominum esse crediderit, bona fide rem emerit, vel ex donatione aliave justa causa acceperit, fructus quos percepit, ejus sunt, pro cultura & cura. Ei vero qui alienum fundum sciens possederit, non idem concessum est, itaq; cum fundo & fructus, licet consumpti sint, tenetur restituere.

XXVI.

Hinc quæritur, an qui bona fide rem possidere incepit, deinde rem alienam esse cognovit, fructus perceptos interim suos faciat? Affir.

XXVII.

Sequitur industrialis accessio, quæ fit plerumque in ædificatione, insitione, scriptura, pictura, vel textura.

XXVIII.

Itaq; cum in suo solo aliquis ex aliena materia, bona fide & animo domini ædificaverit, ipse dominus ædificij intelligitur, cum omne quod solo in ædificatur solo cedat.

XXIX.

In humanum tamen videtur, dominum materiæ, rem suam ita amittere, ideoq; tignum alienis ædibus junctum vindicare quidem propter legem XII. tabularum, vel eo nomine ad exhibendum

dum agere, non potest: Sed actione quæ vocatur
detigno juncto, duplum pro eo consequetur.

XXX.

In alieno vero solo scienter ædificans, facto
quasi spontaneo, inædificatum alienat, in tantum
ut etjam diruto ædificio vindicatio ipsi denegatur.

XXXI.

Bonæfidei autem possessore in possessione
constituto, si fundi dominus ædificium petat,
nec solvat pretium materiæ, mercedisque fabrorum,
poterit exceptione doli amoveri.

XXXII.

Simili modo implantatio & infitio, alienam
plantam in meo radices agentem, meam, in alieno,
alterius; in confinio, communem efficit, ita
tamen, ut si bonafide implantaverit, aut severit in
alieno, doli mali exceptione contra vindicantem
se se tueatur.

XXXIII.

Accessionis jure & illud chartæ cedit, quod in
eadem scribitur. An idem in pictura dicendum?
cum Justiniano negamus.

XXXIV.

Si & pictor & fabulæ dominus simul à tertio
possessore, actione in rem tabulam petant, ob

manus pretium, pictorem, dummodo tabulæ
valorem offerat, præferendum dicimus.

XXXV.

Artificialis accessionis vice & aliena purpura
licet pretiosior sit, vestimento alterius intexta ce-
dit, quæ tamen si furtiva sit, dominus adversus
surripientem habet furti actionem & condictio-
nem, nam extinctæ res licet vindicari non pos-
sint, condici tamen à furibus & quibuscunq; alijs
possessoribus possunt.

XXXVI.

Tertius & ultimus acquirendi dominij mo-
dus, est specificatio, eaq; fit aut in totum ex aliena
materia, & cum Imperatore Proculianorum &
Sabinianorum controversias dirimente dicimus,
si ea species ad priorem & rudem materiam re-
duci possit, eum videre dominum, qui & mate-
riæ dominus fuit, si non possit reduci, eum potius
intelligi dominum qui fecit.

XXXVII.

Aut partim ex aliena materia, partim ex spe-
cificantis propria fit, & tum dominus intelligi-
tur qui fecit, cum non solum operam suam dede-
derit, sed & partem materiæ præstiterit.

XXXVIII.

Huic tandem additur confinis materia confu-
sionis

fionis & commixtionis. Si namq; duorum materiae ejusdem generis, vel diversi, tam voluntate dominorum, quam casu fortuito confusæ sint, id corpus quod ex confusione fit commune esse dicimus.

XXXIX.

Et hæc proprie de confusione, quando res ita rem ingreditur, ut separari vel deduci non possit, dicuntur: cæterū commixtio fit, quando duorum corpora, ut frumenta aut pecora, vel voluntate & consensu communicantur, vel casu miscentur, priori casu rem communem esse, posteriori non item censemus.

COROLLARIA.

I.


An, qui contra prohibitionem & mandatum principis venatione utuntur, capitis pœna affici possint?

II.

An merces levanda navis causa, tempestate maris ejecta, & appulsa, recte in commissum cadant?

III.

An dominum sine possessione acquiri possit?



PRestans KNICKENBERGE tui vivacis acumen
Ingenij, adjuncta hac pagina docta docet.
Ardua dum ponis gravium vestigia rerum;
Astra & certè discutienda choro.
Sint licet intricata satis; tamen arte resolvis
Atq; acri nodos dirimis ingenio.
Maecte hoc tali ausu, non parva exempla secute,
Felici metam sydere letus adi.
Perge ita sectari solers mysteria legum
Discendo ex ipsis jura ferenda libris.
Tempus erit quo te JURISPRUDENTIA alumno
Gaudeat, & laudes tollat ad astra tuas.
Conferet exhausti tibi premia digna laboris,
Quod voveo, votum firmet origo boni.

Joachimus Neoclajus
J. V. D.



Duplex



DVplex hic finis studiorum est, optime fili.
Scire ea, quæ profunt, Et benè posse loqui.
Non hæc naturæ tantum sunt dona, sed usus,
Artifices solus qui facit, ipse dabit.
Fac ergò ut sapias animo, linguaq; diserta,
Quæ scieris, alijs reddere rite queas.
Juncta sit his pietas, & vita modesta, duobus,
Sic te, non aliter, gratia diæ beat.

M. Johannes Goldstein, Pastor
in Ecclesia Rostochiana, ad
S. Nicolaum.



17

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



5

5

fionis & commixtionis. Si namq[ue]
terix ejusdem generis, vel diversi,
dominorum, quam casu fortuito co
corpus quod ex confusione fit c
dicimus.

XXXIX.

Et hæc proprie de confusione,
rem ingreditur, ut separari vel de
fit, dicuntur: cæterū commixtio fit
rum corpora, ut frumenta aut peco
tate & consensu communicantur.
scientur, priori casu rem commune
riori non item censemus.

COROLLAR

I.

*An, qui contra prohibitionem
principis venatione utuntur, capi
possint?*

II.

*An merces levanda navis cas
maris ejecta, & appulsa, recte in comm*

III.

An dominum sine possessione acc

B 3

